





DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>R</sup>ALIS IVRIS NAT<sup>R</sup>ALIS  
DE  
**IVRE COGENDI**

QVAM  
AVCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
IOANNE CHRISTIANO FOERSTER

PROFESSORE PHILOSOPHIAE PUBLICO ORDINARIO  
O R D . P H I L . H . T . D E C A N Q

SVMmis IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS

DIE XXV APRILIS CLOCCCLXXII.  
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

# IOANNES MELCHIOR GOTTLIEB BESEKE

BVRGO - MAGDEBVRGICVS.



PIRELLATIUS MUSICALIS IARIS NATURALIS

de

# IARIS COGENDI

Cic. in Ep.

Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est  
habitum.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO ABRAHAMO

LIBERO BARONI

DE ZEDLITZ

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS

STATVS ET IVSTITIAE MINISTRO ACTVALI INTIMO,

SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI

P R A E S I D I ,

REGIARVM ACADEMIARVM CVRATORI,

DYNASTAE IN CAPSDORF ET MICHELWITZ

JOANNES MECHTILDE LIBERUS

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

HAS QVALESCVNQVE

PRIMITIAS ACADEMICAS

DEVOTISSIME OFFERT

DE NEDPLITA

LOTTINTISSIMI HORVASSORUM REGIS

STATS ET HISTORIE MUSITRIO ACIVIAH TITMO

SARIZIMI SEMINARIAS ECCLESIASTICIS

PRASIDI

EGIARVM ACADEMIAVM CARATONI

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

DINABURG IN CAVSODT ET MICHAELI

IOANNES MELCHIOR GOTTLIEB BESEKE.



§. I.

*Instituti ratio.*



Recte monuit Vir Excellentissimus SCHOTT in Ephemeridibus, multa adesse, quae in doctrinā iuris cogendi accuratiū tradi, determinari, demonstrarique debeant. Atque idem nuperrime consideri voluit longe Celeberr. FEDER in philos pract. p. 161. das natürliche innerliche Zwangsrecht, inquiens, welches auf innerliche Gesetze, auf göttliche Gesetze, und solche Grundsätze, nach welchen das Gewissen uns richtet, gegründet ist, sobinet mir ein noch nicht genug bearbeitetes Stück der Rechtswissenschaft zu seyn. Mea quidem sententia est etiam haec iuris naturalis disciplina et maxime ardua et dignissima. Ardua scilicet, tum quia periculosisimum est determinare, qui sunt casus illi, quibus ius oriatur aliis mala inferendi, qui ad contrarium plane obligati simus, tum quia axiomata quaerenda sunt de scopo hominis essentiali, eiusdemque accidentalī, de perfectione et dignitate actionum, de collisione officiorum in omni exercitio iuris cogendi occurrente, de exceptione legitima et iusta, de diuerso iure cogendi pro diuersitate subiecti, quod cogit

A

et

2

---

et quod cogitur, et pro diuersitate status, cui iura et obligatio-  
nes inhaerent, et denique pro diuersitate iurium ipsorum et obli-  
gationum. Dignissima autem, quia illam ignorans omnino non  
perspicit limites iuris cogentis, ut dicunt, et humani, nec quando  
ius necessitatibus illud humanitatis excipiat, nec qui iustus modus  
perseguendi ius suum, nec quae defensio sit iusta habenda.

§. II.

*Conamina DD. I. N. in hac materia.*

Quamplurimos Iuris naturalis doctores materiae huius per-  
tractationem plane neglexisse ex eorum systematibus potest intel-  
ligi. Sunt quidem hic et illuc principia quaedam iuris cogendi  
dispersa, sed nullo modo cohaerent, nec eiusmodi explicata sunt,  
ut dubia nulla amplius admitterent. Applicantur e. g. in doctrina  
de Iure necessitatis, de Iure quod ex laesione et ex delicto ori-  
tur, de iure belli, de retorsione iurium, de repressaliis, de talio-  
ne, minime vero sufficiunt ad cognitionem plenam eiusmodi  
officiorum erga alios, aliorumque erga nos. Iam vero, cum haec  
omnia eiusmodi circumspersa deprehendantur, colligamus ea, et  
quaeramus principium aliquod vniuersale, ex quo reliqua deduci-  
cenda veniant. Fuerunt quidem multi, qui sibi persuaderent, se  
omnia praestitisse, si laesionem externam, aut obligationem alias  
hominis iuri nostro respondentem, ut fundamentum iuris cogendi  
assumerent, sed minus recte. Huc pertinet etiam, quod in  
Ephemeridibus quibusdam ante aliquot menses scriptum extat,  
cum eruditissima VLRICI Professoris lenensis diff. quousque co-  
actio et vis iniquitate caret, quousque iniustitia, seu initia iuris  
cogendi in foro interno et externo naturali spectata. Ien. 771. in-  
dicaretur, vbi scilicet: die Moral und das äußere Naturrecht ver-  
bindet uns zur Vernunft, und diese zu friedlichen Pflichten, und  
wenn uns andere darin Hindernisse setzen nur in subsidium zur  
Gewalt. *Indem wir uns derselben überlassen, gehen wir aus der  
sittlichen*

sittlichen Sphaere heraus, und unterwerfen uns dem physischen Gesetze, nach welchem alles der Bestimmung der grössten Kraft folgt. Aus dieser Folge von Ideen lassen sich, deucht uns foscunde Sätze herleiten. Quatenus hoc cum reliquis principiis Iuris Naturae conveniat, inquirere nostrum non est.

### §. III.

*Scripta quae hic referri possunt.*

At, nonne disputabimus de re, quae iam extra omne dubium posita, itaque explicata est, vt nihil clarius et certius accidere possit? Habemusne eruditam VLRICI dissertationem supra laudatam? Habemus, sed alli, an in medium prolatâ ad explicandum ius cogendi sufficiant, an Celeberrimus Author materiam illam arduam et grauem plene pertractare voluerit, iudices sint. Extat quoque elegantissima DRIESII diss. de causis belli pro aliis suscipiendi. Francof. 769. vbi quaedam de iure cogendi prolatâ sunt, sed est potius applicatio ad belli speciem quandam, non tractatio ipsius iuris cogendi. Edidit quoque ANTONIUS ZEPPLICHAL Iuris necessitatis principia philosophica, Wratisl. 770. sed est species solummodo iuris cogendi, quod in officiorum collitione obtinet.

### §. IV.

*Definitio hypothetica de Iure cogendi.*

Iam vero explicemus primo naturam atque indolem iuris cogendi, deinde ostendamus, quando et quomodo nobis competit, tum denique quomodo exercendum sit. Est scilicet *Ius cogendi, ius competens nobis, alterius mala inferendi, ad ius nostrum persequendum.* Quamvis autoritatibus in definiendo vt nequeamus, pater tamen veritas definitionis nostrae ex definitionibus inferiorum, vt iuris defensionis, iuris belli, iuris puniendi, quae ad ius cogendi, vt superius, referuntur; atque si ab his rite notio nostra abstracta sit, vt definitio superioris etiam vera esse debet.

A 2

Verum

Verum enim vero hanc definitionem non omnibus numeris abso-  
lutam perfectamque esse lubenter concedimus, desunt potius multa,  
quae accuratius exprimi potuissent. Necesse enim est, ut ante-  
quam definiamus, ea demonstremus, quae ut characteres rei  
necessarii adesse debent, et eousque notio clara solummodo suf-  
ficiat.

Iuris naturalis Doctores cogendi ius etius belli, ut synonyma acci-  
re solent, et tum ius belli locum habere docent, cum ius mala in-  
ferendi adest.

§. V.

*Cogere quid?*

Ad actionem aut commissiuam aut omisiuam aliquem co-  
gere, in sensu generaliori significat, determinare aliquem ad agen-  
dum, hoc est, efficere, ut actio opposita ipsi fiat impossibilis.  
Iam vero impossibilis fit, vel moraliter, vel physice talis, illo in  
casu impossibilis est sub conditione evitandi mali, et coactio mor-  
alis vocatur, hoc vero simpliciter impossibilis est actio, quia  
vis nostra ab alia vi aut interna aut externa ad agendum determi-  
natur, quae est coactio physica. In coactione morali necesse est,  
ut ad agendum determinandus bonum, quod per commissionem  
actionis acquiret, aut malum cogitet, quod actione omissa ipse  
imminet. Bonum aut malum cum actione vel iam coniunctum  
est, ut naturale consectorium actionis, vel nunc coniungitur, illo  
in casu alterum ad agendum determinans nil aliud efficit, quam  
ut ipsi repraesentet mala, vel bona, quae cum actione coniuncta  
sunt, quod persuasio, consilium audit, hoc vero in casu ipse con-  
iungit bona vel mala cum alterius actione futura. Si bona cum  
alterius actione quis coniungit, non dici potest, illum cogi, si  
vero mala, cogi dicitur.

Hanc de coactione sententiam meam veram esse, ex diuisione offi-  
ciorum seu iuris in humanum et cogens, ut DD. loquuntur,  
ipsaque doctrina de iure cogente patet. At dicar quispiam, ius  
cogens

cogens et ius cogendi nihil plane differre; sed si doctrinaliter ambo spectantur, omnino plane et sua natura diuersa sunt. Ius enim cogens, vt KOEHLER, ACHEMWALL et alii volunt, est complexus officiorum, quorum violatione ius alterius perfectum violatur, i. e. alter laeditur, quo facto laeso competit ius, laidenti mala inferendi, quod posterius ad ius cogendi pertinet. Est itaque hoc in casu consecutarum aliquod iuris cogentis, hoc est, habeo ius mala inferendi, seu ius cogendi, si mihi perfecte obligatus officio suo non satisficerit. Sed cogendi ius latius patet, quam quod solummodo ex violatione obligationis alterius perfectae seu ex laesione oriatur, seu vt alii volunt ex iure nostro perfecto, quod respondere debet obligationi alterius. En L. B. primo intuitu fontem erroris, quod ius cogendi tantummodo ex obligatione aliorum seu ex iure nostro oriatur. Fallum hoc esse, potissimum erit, de quo disputabimus.

### §. VI.

#### *Genera malorum quae inferri possunt.*

Mala quae ius cogendi exercens alteri infert sunt imperfectiones, quae vel positivae vel negatiuae esse possunt, inde mala vel positiva vel negativa, illa sunt imperfectiones in altero existentes, hae vero defectus perfectionis. Sequitur inde, vt tot malis quis affici possit, quor perfectiones possibiles sunt. Mala ergo quae vel ad animam, vel ad corpus, vel ad statum externum se referunt.

Summa cum ratione a verbo *damni* abstineo, quia a GROTIUS in I. B. et P. Lib. II. Cap. XVII. §. 1 seq. et a DARIO in I N. P. Spec. Sect. II. Cap. I. §. 330 p. 172, sumitur pro malo ex laesione orto. Originaria quidem significatio est, quod a demendo dictum sit, et est τὸ ἔλεαττον, cum quis minus habet suo. Conf. LUCAS HENR. HELMER diss. de iure defensionis Hal. 751. §. 8. Icti melius loquuntur, vbi distinguunt lucrum cessans et damnum emergens, illud est malum negatiuum, hoc vero malum positium. Vnde apparet I N. DD. nimis restrinxisse damni significationem, et hoc male quidem. HELMER l. c. §. 8. Hinc dissensus illi de

fundamento iuris cogendi, erroresque, quod ius illud solummodo ex praevia laesione oriatur. Quo etiam factum est, ut otiosa illa distinctio iuris humanitatis et cognitis excogitaretur, vnde nil nisi confusio in enarrandis officiis hominum erga se inuicem exorta est. Quis enim ignorat, nisi plane hospes aut tyro in iurisprudentia naturali sit, omnia officia in concreto spectari debere, cum in abstracto nulla dari possit obligatio, deinde omnia officia imperfecta perfecta fieri posse, si vel in casu necessitatis exercentur, vel ut alii volunt per paetum. Melius igitur egissentl. N. DD. si, ut paucis solummodo attingam, 1. de fine hominis essentiali absoluto, et dediuero fine hypotheticō locuti fuissent, indeque obligaciones suas et aliorum deriuassent; 2. deinde subordinare obligaciones et cuiilibet iustum suum locum designare debuissent, 3. tum denique si regulas deditissent, secundum quas exceptio in quavis collisione officiorum absolutorum cum absolutis erga se aut erga alios, absolutorum cum hypotheticis, hypotheticorum cum hypotheticis etc. instituenda esset. Sed non ignoro, vnde multa manca, ambigua, dubia erroneaque in hodierna Iurisprudentia naturali proficiuntur, cum omnes nempe aut in recepto systemate unum sequantur, aut in Iure civili praemissas quaerant, aut ex vaga indeterminataque idea summae perfectionis officia absoluta cum hypotheticis confundant. Nemo follicitus fuit de fine hominis essentiali, de fine societas, ut dicam, naturalis, quae inter homines a natura obtinet, nemo de relatione hominis erga Deum et erga alios homines cogitauit. Physicam, psychologicam et theologicam cognitionem hominis cum doctrina de officiis coniungi debere non difficile est, demonstrare.

### §. VII.

#### *Diuersorum specierum iuris cogendi fundementum primum.*

Duplex adeat fundementum, ex quo diuersae iuris cogendi oriri possunt species. Primum ex diuersitate malorum, quibus quis afficitur, alterum ex diuersitate causarum vnde hoc ius competit. Ad prioris generis referre possum, retorsionem iurium, represalias, talionem; ad posterioris, ius defensionis et ius belli in specie

specie. De singulis, vt spatum permittit institutique ratio postular, breuiter agendum.

### §. VIII.

*Retorsio, talio, repressaliae quid?*

*Retorsio* iurium est actio, qua eodem iure iniquo vitetur in alium, quo ille in nos vsus est, et vt medium adhibetur ad alterius iniquitatem coercendam amouendamque.

SAM. STRYK diff. de retorsione Iuris. Witt. 691.

*Talio* autem in eo a retorsione differt, vt vel idem alteri fiat, quod primus nobis fecit, quo in casu vindicta audit, aut in puniendo poena inferenda illud idem factum sit, quo alter peccauit. Quid de quolibet iustum sit, disputare nostrum non est, infra tantum generales regulae afferuntur.

IOA. GE. DARIES diff. de lege talionis. Iena. 754.

GE. AD. STRVY diff. de talione. Iena 735.

*Repressaliae* sunt quaelibet facta, quibus gens gentem cogit, vt a repetitione facti, quod ipsi praeiudicio esse potest, abstineat.

CASP. ZIEGLER diff. de Iure repressiliarum. Wittenb. 1666.

### §. IX.

*Ius defensionis et ius belli.*

Quoad ius defensionis atque belli notandum est, illud competere, si malum ab aggressore nobis imminet, hoc vero ob quamlibet laesionem vel iam factam vel imminentem. Sumitur autem ius belli in sensu latissimo, pro omni iure, quo alteri mala inferuntur, non habita ratione nec qualitatis aut quantitatis mali, quod infertur, nec causae, vnde ius mala inferendi oriatur.

GROTIUS l. c. Lib. I. Cap. III. KOEHLER Exercit. IV. §. 809.

DARIES l. c. §. 358.

### §. X.

§. X.

*Ambiguitas vocis Iuris.*

Diximus, ius cogendi esse ius, alteri mala inferendi, ad ius nostrum consequendum. Iam vero iuris significatio valde ambigua est. Meam sententiam ita accipe. Actio moralis, hoc est, in sensu generaliori cuius oppositum physice possibile est, (necessitas enim physica plane excludenda) vel ita comparata est, ut a lege praecipiatur, vel non. Si prius, adeo praeceptum, quod obligationem efficit, si posterioris permissa est actio. In vtroque casu ius habemus ad actionem illam i. e. facultatem saluis legibus agendi, et sumitur, ius tum pro necessitate morali, tum pro facultate morali agendi. Facultates morales, quoad ius naturae locum non habere, ex eo appetet, quia non dantur actiones indiferentes, i. e. actiones *quae in concreto spectatae* nec bonae nec male sint. Quapropter quoties agimus (in concreto scilicet, et eiusmodi semper actio sumetur in sequentibus) aut agimus id, ad quod obligati sumus, aut non, si hoc, aut obligati non sumus, quia nulla lex adeo naturalis, hoc falsum, aut quia ad aliam actionem in eodem momento fortior adeo obligatio, hic cessat obligatio, quia ad actionem nobiliorem obligamur, nec adeo ius tenuorem perpetrandi actionem, quia alias daretur ius leges naturales, quibus vis obligandi adhuc inest, violandi. Quapropter certo certius est, in foro naturali non dari actiones, ad quas nulla adsit obligatio h. e. omnis actio (in concreto scil. spectata ut antea monuimus) in foro naturali moraliter nobis necessaria est, seu, omne ius nostrum oritur ex necessitate morali seu ex obligatione nostra.

Eandem propositionem Daries, Vir eximia eruditione praeditus, olim praceptor adhuc pie colendus l. c. §. 150 seqq. demonstrare voluit et aliquantulum eadem in sequentibus usus est. Sequitur porro, nullum in foro naturali dari consilium, nullum licetum, Daries l. c. §. 122. Sin autem de actione licita oratio est, referri debet ad diversitatem fori, quod aut. naturale et quidem inter-

internū vel externū aut ciuile. Aetio in foro externo est licita, si talis est, qua nemo laeditur, quae tamen in foro interno per legem praecepitur; porro in foro ciuili licita est ea, quae solummodo per leges ciuiles non determinatur. Atque haec quidem est origo ambiguitatis termini iuris, quod significer, tum necessitatem agendi, i. e. si lex ciuilis actionem quandam sanciuit, tum facultatem moralem seu licentiam, si lex nihil de ista actione statuit. Sed distinctio haec in Iure naturae plane otiosa est. Patet igitur, ad evitandas antinomias naturales, ius semper pro obligatione in Iure naturae esse sumendum, quod etiam nos obseruabimus et sequentia magis explicabunt. Ex dictis denique intelligi potest, quid sibi velit, — Zu einem Zweck berechtigt seyn, und zu einem Zweck verbunden seyn — quod non rite a quibusdam explicari videtur.

### §. XI.

*An cuilibet iuri respondeat obligatio? quaeritur.*

Vnica adhuc restat quaestio praeliminaris, quae maximi est momenti, et quidem haec, *an cuilibet iuri respondeat obligatio?* Est quaestio haec a nemine fere iuris naturalis Doctore decisa, immo ne mota quidem, sed potius ut vera et indubitata assumta. GVNDLING I. N. ac G. Cap. I. §. 54 — 57. et DARIES I. c. §. 152. Cor. Sed rem ita accipe. Sensus quaestionis esse potest: 1) an is ipse, qui obligatus est, habeat ius? Hoc omnino affirmari debet, et ius accipitur pro necessitate agendi morali. GVNDLING I. c. §. 56. 2) an, si A obligatus, etiam B ius ad idem habeat? Otiosa est quaestio haec, nisi distinguatur eiusmodi: Si A obligatus est ad agendum vel ipsi B obligatus est, vel non; si hoc, B non habet ius, si illud, omnino, sed ius significat tum etiam nihil aliud, quam B  $\ddot{a}$ to  $\tau\delta$  A saluis legibus i. e. sine laesione  $\tau\delta$  A postulare potest, ut A obligationi suae satisfaciat. Vnde apparer, propositionem illam, cuilibet obligationi respondere ius et v. v. vt vniuersalem falsam esse, cum hac limitatione autem veram, is, cui quis obligatus est, habet ius. 3) An, si mihi in alterum com-

B

petit

petit ius, is mihi obligatus sit? e.g. laesus habet ius lalentem puniendi, quaeritur: num laedens ad poenam luendam obligetur?

Cf. Notabilis argumenti diff. 10. 10 A. LANGII de obligatione delinquentis ad poenam corporis. Hal. 736.

vbi recte hoc negatur. Ex natura enim poenae eiusque scopo deduci poterit, quae sit obligatio laedentis, cum laesus puniendi ius exercere velit. Quodammodo huc referendus est GVNDLING l. c. §. 57. Idem obtainere debet, si quis ob statum necessitatis mala mihi inferat, non ideo cessare potest obligatio mea ad mei defensionem. Neque sequitur ex eo, quod quis habeat ius postulandi a me factum aliquod, me esse ad factum illud obligatum, seu quod idem est, idem quod alteri moraliter necessarium est, mihi etiam esse moraliter necessarium. Atque ut hic omnis evitetur ambiguitas, notes velim sequentia. Habeo ius i.e. actio quaedam moraliter mihi necessaria est, quia lex adest, quae illam praecipit (§. antec.) vel ob statum in quo sum, vel non; si illud, aut alter in eodem statu est, quo lex actionem meae conuenientem ipse etiam necessariam efficit, aut non; si hoc, regula illa non valer, si illud, verum est, iuri respondere obligationem. Omnes reliqui casus et magis determinari possunt, quod tamen hic non opus est, et simul a regulae nostrae vniuersali veritate faciunt exceptionem. Quaeratur e.g. an is, cui ab vim inferente, iusto scilicet, mala inferuntur, obligatus sit ad malorum perpessione, et responsio ex schemate nostro erit in promptu. Hoc unum solummodo addam, quod ob obligationes alterius erga se ipsum meae obligationes erga me ipsum non possint cessare.

Propositio illa, omni iuri respondere obligationem et vice versa, seu obligationis correlatum esse ius, originem suam sine dubio traxit ex luce civili, vbi in foro inque omnibus negotiis iuridicis offeruatur. At dicat quispiam, nos per pactam alteri obligationem, nobis vero ius constituerre posse, ergo in pactis obtinet regula, vbi ius, ibi obligatio. Concedere hoc possumus salua nostra demonstratio-

stratione, voluimus enim negare, propositionem illam esse vniuersaliter veram, quod ad scopum nostrum sufficit. Vberius enim de hoc disputare, nec oportet, nec licet. Necesse tamen fuit, ut vniuersalem huius regulae veritatem impugnaremus, vt liberum nobis esset, determinare casus, quibus tantum ius et obligatio sibi inuicem responderent. Praeterea multa afferri possunt, quibus probemus, paecta, certis sub circumstantiis considerata non esse iuris naturalis, nee absoluti nec hypothetici, sed inuentum solummodo iuris civilis ob rationes maxime politicas. Infra plura.

### §. XII.

*Diversarum specierum Iuris cogendi fundamentum alterum.*

#### I. *Ius cogendi quod competit ex lege.*

Pergamus nunc ad alterum disputationis nostrae momentum, et demonstremus, quando et quomodo ius cogendi nobis competit. Omnes Iuris naturalis Doctores in eo conueniunt, ius nobis competere posse, vel immediate ex lege, vel mediante facto; si hoc, vel ex turbatione s. delicto, vel ex pacto. Quatenus distinctione haec accurate facta sit, inquirere nostrum non est. Attamen negare non possumus; hunc distinguendi modum, acquisitionis iurium ideam exhaustire. Fiat igitur applicatio ad acquisitionem iuris cogendi, et modus primus erit ex lege, seu quod idem est, ex statu. Ut eiusmodi ius cogendi oriatur necesse est, vt lex adsit, quae actionem quandam tanquam finem consequendum iubeat; iam vero posita obligatione ad finem, ponitur etiam obligatio ad media sufficientia. Sed qualia et quanta media adhibenda sunt? Quoad prius, nobis oratio est de iure cogendi, ergo malorum illatio vt medium sumitur, quoad posterius vero infra videbimus. Sic patri competit ius cogendi filium, vt fini educationis conuenienter agat, ex lege; nam qua homo et qua causa existentis filii obligationem habet educandi filium, ergo etiam ad media sufficientia obligatus est; filius vero obligatur ad obedientium patri, quia obligatus est, vt se felicem reddi patiatur,

B 2

quod

quod a nemine magis exspectare potest, quam ab ipso patre, qui tum experientia edocitus est, tum ex amore non committet, ne mali quidquam filio accidat. HOHEISEL Theses controversae iuris nat. et gent. disp. V. Vbi Thes. I. Imperium parentibus liberis competit immediate ex iure naturae, (nequaquam vero ob praesumtum aut tacitum pactum) obligantur enim parentes ad educationem liberorum, haec autem absque imperio fieri nequit. Porro si talis adest rerum status, in quo officia erga me et alium colliduntur, obligatus sum ad legem maiorem obseruandam, ad officia erga alium violanda, ad inferenda alteri mala, hoc est, competit mihi ius cogendi ex statu necessitatibus.

Hunc iuris cogendi modum peropportune *iuris expletionem* vocare possumus, quae pro unico suo fundamento habet, propositionem hanc: *qui obligatus est ad finem, obligatus etiam est ad media sufficientia.* Atque hic quidem canon est fundamentum generale, vnde tum omnia officia perfecta originem suam ducunt, tum omnia imperfecta officia perfecta fieri possunt. Quilibet enim homo ad suam ipsius felicitatem, ut finem absolutum eumque sumum obligatur ideoque etiam ad media sufficientia i. e. talia, fine quibus finem illum consequi nequit. Quare si nullis aliis mediis hoc fieri possit, coactiva adhibenda sunt ultimato. Conf. ADR. HOVTYVN Politica Generalis §. 3. Sic ius determinatum ex ratione dicimus ad media. Et in notis: Qui dat ius ad antecedens (quod est bonum, propulsatio mali) et qui ius dat ad finem, dat ius ad media, sic vis, dolus, licita.

### §. XIII.

#### *II. Ius cogendi quod oritur ex delicto.*

Ex turbatione vel nuda vel delicto nobis ius oriri posse ad cogendum turbantem, vel delinquentem Doctores statuunt. Sed ius hoc iterum immediate fluit ex lege. Obligati scilicet sumus ad auertenda mala imminentia, hoc est, ad defendendos nos, ad amissam perfectionem recuperandam, hoc est, ad damnri repatio-

rationem postulandam, ad tuendam securitatem, iniuriasque aliorum prohibendas, hoc est, ad puniendum. Atque haec quidem omnia obtinent, quia lex adest, quae sui ipsius perfectionem ut finem praecipit, qui sine defensione, sine damni reparatione, sine poena nec conservari nec augeri potest.

Iuris naturalis DD. separarunt huncce modum, ex turbatione scilicet acquirendi ius mala inferendi, a primo illo acquirendi modo ex lege seu ex statu, eiusque ratio fuit, quia ius hoc alii mala inferendi ne prius existere putarunt, quam cum factum alterius antecedenter. Sed in ipso illo ex lege acquirendi modo, eiusmodi etiam hypothesis adest debet, quae est, si in tali statu sum, vbi obligatio adest ad finem, adest etiam obligatio ad media sufficiencia, cumque aliis mediis finis ille locum habere nequeat, habeo ius, durioribus mediis viendi ex lege, quam iuris explicationem vocavimus. At dicat quispiam, distinguendum esse, ius cogendi oriri posse ex lege vel immediate vel mediate, ad hunc vero modum pertinere ius cogendi, quod oritur ex delicto. Sed ea ipsa lex, quae praecipit, ut nos perficiamus, iubet etiam, ut mala, quae perfectionem nostram destruere possunt, avertamus. Atque sicuti non ad omnia officia nostra simul obseruanda obligati sumus, nisi prius antecedat certus rerum status, qui hanc vel illam obligationis nostrae explicationem desiderat, ita nec prius nos defendere etc. possimus, quam cum mala nobis ab aggressore immincent. Quare idem contendere voluit Excellentiss. DAN. NETTELEBLADT in systemate elementari vniuersae iurisprudentiae naturalis. Halec  
1767. §. 900.

#### §. XIV.

##### III. Ius cogendi quod oritur ex pacto.

Tertius denique modus acquirendi ius cogendi ex mente Doctorum est pactum, seu promissio reciproce acceptata. Promittit scilicet A factum quoddam, B acceptat promissionem, A iterum consentit in acceptationem et addam, ita, ut simul tradat ius, ipsi mala inferendi, nisi factum promissum praestet, quod quidam efficacem accepta-

*acceptationem* vocant. Cf. DARIES l.c. §. 415. Sed concedam A voluisse, ut B ius perfectum habeat, et B eriam hoc ius in <sup>to</sup> suum recipisse, tamen omnino non concedere possum, ex pacto oriri ius cogendi. Rem ita accipe. Quicquid per pactum promittitur, vel est tale ad quod quis iam (imperfecte scilicet volum Doctores) obligatus est, ut alteri praefeter, vel non; hoc impossibile est (§. X.) si illud, ne prius ad expletione illius obligatus est, quam cum alter hoc indigeat. Recte enim omnis pacti fundamentum ponunt Doctores in auxilio praestatione. Conf. DARIES l.c. §. 393 seqq. Hoc auxilium postulare possum ac debeo vel nunc, quia illo nunc indigo, vel non. Si prius non opus est pacto, quia iam ius cogendi habeo ob statum necessitatis, si posterius, iterum non opus est pacto, quia hondum opus est iure cogendi. Porro nescio, qui fieri possit, ut promittens promissario ius mala sibi inferendi concedere possit, cum ipse illud non habeat. Iam a 10. 10A. LANGIO incidenter hoc affirmatum esse videtur in dissertatione supra a me laudata §. 19. Vbi scil. ad poenam capitis hominem ne quicquam se posse obligare: ad poenam corporis afflictuam, ubi sanum et non mutilatum corpus seruari non possit, itidem obligationem exulare. PUFENDORF in Iur. Nat. et Gent. ex editione BARBEYRACII Lib. VIII. Cap. III. §. IV. n. 4. de là il s'ensuit, inquit, qu'on ne peut pas dire proprement, que personne soit obligé de subir la peine. Car l'obligation ne regarde, à proprement parler, que les choses, aux quelles on doit se porter volontiers et de son pur mouvement. Porro LANGIVS, perpende quaeso, inquit, effete contra dictiorum? instinctum ad sanum corpus animumque seruandum ale re: finem proponere sibi status perfectionis, et non proponere. Ut autem paucis me explicem, ita res est comparata, ut scilicet obligatio mihi insit, cuius expletio aut nunc desideratur, aut non, si hoc, adeo obligatio, ut ita dicam in actu primo, et adeo quoque ius cogendi in actu primo; si illud adeo obligatio in actu secundo. Huius expletio aut nullis aliis mediis, quam coactiuis fieri

fieri potest, aut alii; si hoc, adest obligatio in actu secundo, ius cogendi vero in actu primo, si illud, adest obligatio et ius cogendi in actu secundo.

Quid ergo? tota doctrina de pactis est inventum iuris civilis introducendo statu civili ob rationes maxime politicas, quibus occasionem dederunt variae illae res, quibus homines in statu civili viventes indigent, quibus vero in statu naturali omnino non opus fuisset. 1. Quoniam igitur in statu civili ius cogendi non cessat, quoad exercitium solummodo ob rationes politicas in magistratum translaturum est, necesse est, ut proberetur, nos in eo esse statu, quo alterius auxilio indigeamus, quod optime fieri potest per promissionem ab altero nobis eum in finem factam. 2) Ne quis iniuria se affici per magistratum credatur, necesse est, ut ipse promittat, quando se malis affici velit, quod iterum fit per pactum. 3) Ne etiam temeritas iniuriae civium a magistratu exercitium iuris cogendi petat, necesse est, ut alterius obligatio proberetur, hoc est per pactum. Notari tamen debet, ipsum ius civile statuere, moraliter possibile esse debere objectum pacti, et malum quod inferatur, potissimum cerni in rebus, quibus salua existentia et sanitatem indigere quis potest. Si in hoc casu contrarium fierer, esset contra ius naturae. Sed in hoc ne longiores simus, fusius alio tempore disputabimus. CARL. FERD. HOMMEL in diss. ius mundi vniuersale, scriptum elegans et plane nouum Lips. 763. negat etiam Cap. IV. pacta esse iuris naturalis, sed distinguit ius animalium et ius hominum, illud ius naturae, hoc vero ius gentium cum veteribus appellat.

#### §. XV.

##### *Accuratio definitio Iuris cogendi.*

Jam vero definitio iuris cogendi §. IV. data, accuratius eiusmodi formari debet, quod sit *obligatio mala alteri inferendi ad obligationis nostrae expletionem*. Definitionem hanc in conceptu formaliter veram esse, ex eo patet, quia datur finis, ob quem mala alteri inferendi obligatio adest; in conceptu objectivo autem veram esse, ea, quae antea diximus, demonstrant. Nam 1. non habemus

bemus ius nisi obligati simus §. X. 2. non adest ius mala inferendi, nisi ob iuris explicationem §. XII. sqq. 3. Vbi ius mala inferendi, ibi ius cogendi §. IV.

Cum multis in principiis a communi Doctorum sententia abhorrire videar, age, vt edoceamus, qualis sit series illa cogitationum, quae hoc me perduxerit. Perscrutabat primum, quis sit hominis finis et quotplex, unus scil. absolutus, plures hypotheticci. Deinde cognoui, omnes obligationes meas ex fine meo absoluto et ex hypothetico necessario esse deducendas. Tum quemlibet hominem eundem finem absolutum, et obligationes inde resultantes necessario habere, eundem vero finem hypotheticum et inde resultantes obligationes contingenter habere, colligendum esse duxi. Tum denique quemlibet hominem individualiter spectatum, hoc est, cum fine suo absoluto et hypothetico cumque obligationibus suis inde proficiscentibus ad alterum individualiter spectatum retuli. Omnes hae meditationes, quas solummodo indicare hic volui, coniunctim summae effecerunt partem hanc nostri systematis, non adeo noui, vt ob nouitatem magis quam debuisset a me probaretur, aut a doctis hominibus plane reiiceretur. Velim tamen vt optimus quisque, cui difficile sit, de veritate demonstrationis nostrae sibi persuadere, ea, quae in medium protuli, vt dubia potius contra receptionem sententiam tractet. Evidem nunquam committam, vt in opinionibus meis pertinacem me stare quis videat.

### §. XVI.

#### *Iuri renunciare quid? et num liceat?*

Addamus adhuc quaestione, an dentur casus, quibus iuri suo renunciare liceat? Renunciare iuri suo significare potest 1) omittere actionem, ad quam quis obligatus est, hoc fit vel ob collisionem officiorum aut non. Si hoc non licet, quia adest necessitas agendi moralis, si illud, non minus obtinet necessitas moralis, vt lex maior obseruetur; 2) omittere actionem ad quam obligatus sum, hoc querere otiosum est. §. X. 3) omittere actionem

nem postulare ab eo, qui mihi obligatus est. Hic distinguendum, vtrum obligatus sim ad postulandum ab altero tale factum, an non; si illud, renunciatio moraliter impossibilis est, si hoc non opus est renunciatione. Quapropter patet, renunciationem iuris esse omissionem actionis, ad quam non obligatus sum, aut quia (si in concreto spectatur) omnino nulla nullo in casu adest obligatio, aut quia ob collisionem, ad oppositam actionem, maior obligatio adest. Hoc est, quod dicunt, iuri suo praceptiuo nemo renunciare potest, bene tamen iuri permissiuo.

Minus itaque apta est distinctio illa, inter ius praceptiuum et ius permissiuum, quia non datur actio, in concreto spectata, ad quam nulla adsit obligatio h. e. nulla datur actio permissua. Ob collisionem autem obligationum eam actionem, ad quam minor adest obligatio, permissam esse, minus recte dicitur. Attamen verum est, distinctionem hanc in iure ciuili, nisi vicuum tamen maximum habere usum.

### §. XVII.

*Iuri cogendi nemo renunciare potest.*

Patet itaque ex antecedentibus neminem iuri cogendi posse renunciare. Si enim ius cogendi ex obligatione ad finem oritur, semper est iuris praceptiu. Si vero plane cessat ob aliam fortioriem obligationem, renunciatione non est opus.

### §. XVIII.

*Quomodo ius cogendi exerceri debeat? modi generales.*

Vltimum adhuc, quod pertractandum habui, restat, quomodo scilicet ius cogendi exerceri debeat. Dantur modi alii generales, alii speciales. Primo de generalibus. Regula nostra, unde ceterae omnes deriuari debent, est haec: *si quis finem consequi alio modo nequeat, nisi ut mala alteri inferat, ad talia tanta que mala inferenda obligatus est, qualia et quanta sufficiunt ad finem istum obtinendum.* Propositionem hanc, nisi magis determinetur ac explicitur, fontem multorum errorum esse posse, cum praeuideam,

C

necesse

necessè est, vt doceatur, tum qualia, tum quanta mala adhibenda sint, ad finem consequendum, tum qualis ille finis esse debeat, ob quem male agendi licitum sit, seu potius obligatio adsit.

### §. XIX.

*Finis hominis naturalis, absolutus, summus quis?*

Omnes actiones finem habeant necessè est. Hic finis aut est in nobis met ipsis, aut in aliis. Si hoc, finis ille semper est hypotheticus, si vero illud, aut absolutus aut hypotheticus esse potest. Finis absolutus omnium actionum humanarum spectat ad finem hominis absolutum, qui est *sui ipsius conservatio et perfectio animi, corporis et nexus corporis cum anima, et est finis naturalis et summus*. Non dari alium finem naturalem ex natura hominis potest demonstrari, nec dari alium altiore, nemo haec tenus demonstrauit. Quare, cum de fundamento omnium obligationum naturalium queratur, ex hoc fine naturali, absoluto et summo petendum esse, existimauerim. Neque igitur probare possum, quod quidam Iuris naturalis Doctores, omne fundamentum obligationis ex idea summae perfectionis petendum esse putent, cum nihil fere agant, nisi ideam vagam et indeterminatam relinquent, unde cuilibet liberum est, se ad agendum determinare, quoquis modo velit. Assentior igitur quodammodo b. wOLFIO eiusque affectatoribus, a cuius doctrina recedendum esse nondum demonstratum est. Ut autem fusius me explicem, nec locus, nec tempus permittit.

### §. XX.

*Fundamentum diuerorum modorum, quibus ius cogendi exerceri debet.*

Quapropter per naturam ideoque, si volumus ita loqui, per Dei voluntatem obligati sumus, vt nos metipso, tanquam finem omnium actionum nostrarum spectemus, immo obligacionum

num omnium. Ut itaque hunc consequamur, quilibet ad media sufficientia obligatur, ergo etiam ad mala alteri inferenda. Quantitatem autem malorum aliis inferendorum, ex dignitate, quantitateque obligationis, seu potius ex relatione actionis illius ad finem nostrum dijudicare debemus.

### §. XXI.

#### *Modus primus.*

Primus igitur modus generalis, quo ius cogendi exerceri debet, est hic: *ad finem tuum absolutum seu essentialē obtinendum, ad quaevis mala, nisi aliter consequi eum possis, alteri inferenda obligatus es.* Haec enim est summa obligatio, in cuius gratiam quaelibet exceptio licita et iusta est. Huc pertinet exempli loco, status extremae necessitatis, moderamen inculpatae tutelae.

### §. XXII.

#### *Modus secundus.*

*In collisione finis tui hypotheticī cum alterius absoluto, tanta mala sunt licita, quanta, sālio tamen fine alterius absoluto, ad consequendum finem hypotheticum necessaria sunt.* Exemplo sit stuprum violentum, praedo, sur nocturnus. In collisione finis mei hypotheticī cum alterius absoluto hunc preferendum esse, ex eo demonstrari potest, quia, si duos hominis fines naturales contendere volumus, post conseruationem sui ipsius, conseruationem totius generis humani secundus finis est, ad quem et natura stimulat, et, licet nostri nihil intersit, tamen in ciuitate Dei lex est, quae rationem, ut cognoscendi principium agnoscit. Dijudicari ex hoc potest, quod DARIES l.c. §. 622. Cor. II. et §. 628 §. 575. Cor. III. affirmare voluit.

Multa contraria in Iure criminali statui, haud ignoro, sed aliud est iuris positivi, aliud iuris naturalis. Conf. G E A D STRVVIVS

C 2 in

in diff. de vindicta priuata. HENR. SIEVERTZ in diff. de non-nullis, quae ob necessitatem licita falso iudicantur. Lips. 1696. §. 5. Vbi contra GROTIUM, qui pudicitiam, secundum gentium opiniones, vitae equiparandam censet, nefas esse contendit, pro defensione pudicitiae occidere iniustum atque violentum eiusdem invadorem, si ea alio modo seruari nequeat. Porro IDEM l. c. §. 6. necessitas, inquit, non largitur nobis ius defendendi facultates, quibus vita sustentatur, cum occisione inuasoris. GVNDLING l.c. Cap. IX. §. 15. Perspicuum est, quam hic absone philosophentur, qui laudentis caudem et res inter se comparant ablatas, vel aufwendas.

### §. XXIII.

*Modus tertius.*

*In collisione finis tui hypotheticci, cum alterius hypothetico, salvo tamen alterius absoluto, omnia mala licita sunt, ad consequendum finem tuum hypotheticum.* Ex hoc fundamento dijudicari poterit, quae Excell. SCHOTT l. c. 9tes Stück p. 823. obiicere voluit: *armer Schuldner! der Gläubiger darf dir also seine Schuldforderung nicht erlassen, so gerne er auch wolte. Denn er ist so gar verbunden, dich bis aufs Hemde auszuziehen.*

### §. XXIV.

*Quomodo exercendum sit ius cogendi, ad obtinendum finem hypotheticum, et quidem in collisione officiorum erga alios.*

Quid vero? si finis ille, ad quem naturaliter obligati sumus, sit aliis hominis conseruatio et perfectio. Ad hanc dari obligationem naturalem, secundum principia omnis philosophi et secundum §. XXII. extra omne dubium positum est. Iam ponamus duo officia erga alios in collisione esse, tum regula Iuris naturalis hic obtinet; *ad maiorem perfectionem adest obligatio, seu, ut alii volunt, ex idea perfectionis obligatio nostra determinanda est.*

Apparet

Apparet igitur principium Iuris naturalis, quod quidam in idea perfectionis ponunt, esse solummodo principium, quoad obligaciones erga alios, ideoque non adaequatum principium totius iurisprudentiae naturalis. Ex hoc principio decidi sine dubio potest quaestio, quo in casu iusta ad sit causa, belli pro aliis suscipiendi; porro, qui fieri possit, ut alterum cogere possumus ad observationem obligacionis erga se ipsum, ad sui conseruationem et perfectionem, licet non necesse est, ut simus ipsi iudices, sicut quidam obiecerunt. Conf. FEDER l. c. §. 304. *Man darf die Menschen zu dem was gut, und also innerlich Pflicht ist, zwingen, wenn durch die Verleistung dieser Pflicht nach aller Wahrscheinlichkeit mehr Böses gestiftet werden würde, als durch den Gebrauch derjenigen Gewalt, ohne welche diese Pflicht nicht erfüllt worden wäre.*

### §. XXV.

*Modi speciales, quibus ius cogendi exerceri debet, et quidem de primo fundamento, scil. quoad statum.*

Quod ad modos speciales, quibus ius cogendi exerceatur, attinet, respiciendum est, tum ad statum, in quo sumus, tum ad quantitatem malorum, quae inferenda sunt. Quoad prius status ille est vel talis, quo mala nobis imminent, vel talis, quo iam illata sunt. Si ab aggressore mala nobis imminent, ea vel auertere studemus malis contrariis, vel non; si hoc effugere, si illud, nos defendere dicimus. Mala ratione defensionis inferuntur, vel quia aggressor iam conatu efficaci fertur, ad nos laedendos, vel non. Si hoc laesione anteuertere, seu praeuenire, vocant, si illud, se defendere in specie audit. Iam applicetur principium iuris cogendi, quod iuris expletionem vocauimus, et verae sunt propositiones sequentes:

- I. *Quoties malo imminentि effugere possumus, toties iniusta est defensio.*
- II. *Quoties in aggressore nondum conatus efficax est, nobis mala inferendi, toties antevertenda est laeso.*

C 3

III. *Quoc*

**III. Quoties in aggressore est conatus efficax, ad nos laedendos, toutes ad nos defendendos obligamur.**

Sed quanta mala inferenda sunt? Semper minima, talia tamen, quae ad finem consequendum sufficiunt. Quare nunquam aggressorem necare iustum erit, nisi vitae nostrae periculum certum, aut maxime probabile adsit.

**§. XXVI.**

*De poena et vindicta.*

Sin vero in illo statu simus, vbi mala iam illata sunt, aut obligati sumus, vt damnum ex laesione reparemus, aut non. Si hoc, non habemus ius cogendi, si illud, vel damni reparatio possibilis est, vel non; si hoc, nullum adest ius cogendi, quia ad impossibilia non datur obligatio, si illud, adest obligatio ad postulandam damni reparationem, quod fieri potest, vel sine mediis coactius, vel non. Si illud, non habemus ius cogendi, si hoc, habemus. Mors vero laedentis nullo modo damni reparationis species esse potest. Aliud igitur fundamentum quaerendum est, ex quo determinari possit, quando liceat necare laedentem.

Vindictam iuri naturae repugnare multi demonstrare voluerunt, sed determinandum hic est, quibus in casibus obuenire possit. Generatim solummodo notemus, eum exercere vindictam, qui mala infert, aut solummodo eam ob causam, quia laesus est, aut vt damnum reparetur, cuius reparatio impossibilis est. Quid de quavis fentiendum sit, satis apparet.

**§. XXVII.**

*De fine poenarum.*

Obligati etiam sumus, vt eo nos redigamus, quo nulla mala nobis imminent, hoc est, vt in plenariae securitatis statum nos vindicemus. Fieri hoc debet, vel quia laesiones imminentes adsunt, vel non. Si hoc semper adest obligatio, vt nobis pro-

prospiciamus, si illud, laesiones imminentes, vel iam praesentes sunt, vel futurae; si praesentes, defensio (in sensu generali scil.) obtinet, si futurae, tales sunt, vel quia iam ab illo, a quo imminent, laesi sumus, vel non, si illud punire eum dicimus, si hoc defensio (in sensu gen. scil.) obtinet.

Multiplicem poenarum scopum Eruditi docent, sed aliud est iure civili, aliud iure naturali. Audiamus tamen. Scopus poenae, qui est, vt violator legis emenderetur, idem est, ac mala ei inferre, a quo laesiones nobis imminent, ne amplius nos turbet. Alter scopus ex mente illorum est, vt alii ab iniuriis nobis inferendis prohibeantur. Sed hic modus puniendi ne prius locum obtineat, quam cum eadem mala ab aliis nobis imminent, a quorum iniuria nos arcere tenemur. Erunt tamen casus, quibus talis poena non erit licita, sed potius debemus aggredi ceteros, a quibus dicta mala imminent.

### §. XXVIII.

#### *De poena, quae vi imperii competit.*

Neque etiam hic omittenda est alia poenae species, quae maxime cernitur in imperio, quod vni personas in alteram competit. Vnicum imperium, quod a natura personae competit, est illud, quod pater habet in liberos. Per naturam enim obligatus est pater, vt liberos, quos procreauit, educer, hoc est, vt actiones liberorum ira dirigat, vt felices euadant homines. Quodsi igitur nullo alio modo ad agendum determinari possint liberi, necesse est, vt pater mediis coactius vratur, hoc est, poenas irroget, et tales quidem, sine quibus finis obligationis obtineri nequit. Ex hac obligatione patris, seu vt alii volunt, ex hoc iure patris, liberorumque obligatione, quod patriam potestatem vocant, Ius vitae et necis deducere velle, Iuri naturae e diametro oppositum est. Quatenus porro capitii familiae in societate herili ius puniendi competit, hic non inquiramus. De hoc enim genere locuturus, tum principia de obligationibus ex pacto obuenientibus, tum de Iure belli ac defensionis applicare debet.

Alias

Alias praeter paternam dari societas a natura constitutas, nemo ha-  
ctenus ita, ut debuisset, demonstrauit, nec rationem inuenio,  
cur plures contendam. Quod autem ius puniendi attinet, multi  
vapularunt, qui, omne puniendi ius ex imperio deducendum esse,  
existimant, cum falsitas huius assertionis ex principiis, turn iuris  
ciuilis, tum iuris naturalis sole clarius appareat.

### §. XXIX.

#### *De reliquis iuris cogendi speciebus.*

Cum retorsio, repressio, talio species iuris belli, seu iu-  
ris cogendi sint, omnia, quae de his afferre possumus, aut ad  
ius defensionis, aut ad ius puniendi redeunt. Fusius autem hoc  
exponere, nec tempus, nec disputationis cancelli permittunt.

### §. XXX.

#### *Fundamentum alterum, quoad quantitatem malorum.*

##### *Prima regula.*

Quod denique ad quantitatem malorum; ad quae inferen-  
da obligatus quis esse potest, attinet, volunt plurimi iuris natura-  
lis DD. ut sequentes regulae obtineant, quarum prima haec est:  
*Malum, quod occasione defensionis infertur, sit laesio aequale.* Sed  
relatio, vnde quantitas horum malorum dimetienda obvenit, non  
est quantitas laesionis imminentis, sed potius finis ille, quem de-  
fensionis ope consequi volumus, et ex ipso hoc mala illa, ut  
media sufficientia dimetienda sunt. Quare, si alia quaedam, con-  
venientiorque regula scribenda foret, hanc potius nominemus:  
*tanta mala in defensione inferre iustum est, quantis aggressor in em-  
statum redigitur, ne laesio illam imminentem possit inferre.* Quem vero fugit, hanc ipsam regulam nullam aliam esse, quam  
illam, quae iuris expletio a nobis vocatur, magis solummodo  
determinatam.

### §. XXXI.

---

§. XXXI.

*Altera regula.*

Alteram, quam statuunt, hanc esse volunt: *Poena fit damno illato proportionalis.* Sed distinguitur poena, quae ex iure defensionis oritur ab illa, quae ab imperio dependet. Illa statuenda est, pro qualitate defensionis §. XXV. seqq. haec vero pro quantitate obligationis, actiones eius, in quem imperium competit, dirigendi.

§. XXXII.

*Tertia regula.*

Tertia denique est: *Reparatio damni fit damno illato proportionata.* Quam si generalius exprimere velis, haec euader: *ad id non maior adest obligatio, quam quae adest.* Quis vero non vider, hanc regulam nullam nouam aut specialem quandam esse, sed potius tamē, quae in quolibet obtinendo fine, ac obseruando officio obtinet, verbis solummodo diuersam. Plures hic recensere possemus, si opus esset ea, quae supra allata sunt, aliis solummodo verbis exprimere.

§. XXXIII.

*Ius cogendi, quomodo in statu ciuili spectari debeat.*

Atque haec tenus quidem ius cogendi, quomodo et quantum a natura seu in statu naturali competit, et exerceatur vimus, nunc quoque addendum nobis est, quomodo in statu ciuili obtineat. Status ciuilis ea est ratio, vt, cum securitatis finis summus et fere unicus sit, quilibet ciuiis proprio iuris cogendi exercitio renunciet, illudque in superiorem et magistratum transferat ita, vt quories defensionem poenamque rerum nostrarum conditio postulauerit, ille auxilio suo praefito sit. Iam vero, si quid diuersi in iuris cogendi exercitio in statu ciuili accidat, hoc

D

potius

potius ex differentiae charactere diiudicari debet. Spectari scil. potest integra ciuitas ut persona moralis, cuius membra sunt ciues. Ciues vero ipsi etiam singuli, ut personae physicae spectari possunt ac debent, hoc est, ciues spectantur aut qua tales, qua socii, aut qua homines. Si prius nullum ius cogendi habent, sed illud, quod in defensione et in poena exercetur, tota ciuitas, ut corpus laesum iure proprio exerceret; si posterius aut per magistratum exerceri potest, si debeat, aut non, si hoc ipsi exercemus, quasi viueremus adhuc in statu naturali, si illud magistratus nostro nomine exercet.

#### §. XXXIV.

##### *Conclusio.*

Brevis haec meditatio sufficiat ad demonstrandum, quale sit ius cogendi in statu ciuili. Reliquum ex iure sociali vniuersali, tum in specie ex iure ciuili vniuersali deducenda sunt. Fuisus ea, quae dicta sunt, exponere, ultra limites disputationis est. Satisfecimus nobis ipsis, si ea, quae de fundamento iuris cogendi attulimus, a bonis doctisque viris probarentur.



V I R O  
PRAENOBISSIMO AC DOCTISSIMO  
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

LVDOVICVS GVILIELMVS COMES DE GESSLER,

S I L E S .

O P P O N .

*Si quid est, quo maxime delectemur, est sane hoc, habere amicos.  
Nihil enim jucundius, nihilque dulcius est, quam habere, quibuscum  
omnia audeamus sic loqui, ut nobiscum. Sed nolo hic celebrare laudes  
amicitiae, id potius agam, quod ad officium meum pertinere putari.  
Gratulor TIBI igitur AMICISSME BESEKE de summis in Philo-  
sophia Honoribus in TE conferendis, et opto, ut fructus TVAE in-  
dustriæ capias quam diutissime. Quumque et mihi dissentientis munus  
contra doctam TVAM dissertationem demandare volueris, agnoço in  
eo quidem singularem TVAM in me amicitiam, sed si exspectatione  
TVAE non satisfecerim, cogites quaeſo, me adhuc esse tyronem in  
juris scientiis. Quod reliquum est, TE rogo, ut me amare pergas.  
Vale; resque TVAS age semper feliciter. Dabam Halae decimo  
Quarto Calendarum Maii. MDCCCLXXII.*

D 2

CANDI.

# CANDIDATO ERVDITO

s.

IO. CHRISTIAN FOERSTER.

**N**on mori, sed verissimae meae in TE amicitiae has litteras attribuas. Per placuit mibi inde ab eo tempore, quo TE noni, ingenii praestantia, eruditionis copia et vitae humanitas, quibus virtutibus TE bonis omnibus probauisti.

Neque diu latere potuerunt hae TVAE virtutes, sed iam in academia Vadiana, ubi per quatuor annos iurisprudentiae operam dedisti, ita declarauisti TVAM dexteritatem, ut plures forent, qui, si filios TVAE curae ac gubernationi committerent, se illis optime profexisse, arbitrabantur, et ita quoque apud nos per integrum annum laudabiliter egisti.

In scientiis tum philosophicis, tum iuridicis, quas maximo impetu et seruore omnes tractauisti, in oculis semper praecipue babuisti nobilissimam illam iurisprudentiam, sine qua vel omnis specularia philosophia, quando haec sine adipiscitur ut apex eruditionis habetur, ieuna ac non virilis satis, et vel omnis positiva iuris doctrina superficiaria magis, quam solida esse debet scientia. Haud contentus tuis, quae in scolulis docentur, ipse cogitauisti, et fere omnium, qui cum laude versari sunt in iure naturali, Systemata tam familiaria TIBI reddidisti, et largam haberes materiam, cogitandi, emendandi et in veros altarum disciplinarum usus conuertendi. Libellus, quem TVA mihi obtruliisti, et ego TIBI sine villa mutatione reddidi, quemque, et certissime spero, solus defendes, prefecto est, clarissimum documentum, TE de iure naturae opinionibusque DD. plus cogitauisse, ac plerique solent, hinc et materiam TIBI sumi sti arduum ac explicatum difficultorem, et laudabilissimum TVVM est consilium, ea, quae contractius modo in hoc libello a TE edocita sunt, alia occasione endardarius explicandi.

Faxis Deus immortalis, ut TIBI felices sint supremi in philosophia honores, qui TIBI nuper post superatum egregie examen ab ordine nostro decreti sunt, et quos in TE publice conferam, postquam hanc TVAM disseracionem aduersus Illustrissimi, Generosissimorum arque Doctissimorum Adversariorum obiectiones propagaueris. Ex animo opto, ut TIBI sint hi honores foecunda opportunitas, de aliis benemerendi, ut sint incitamentum ad TVAM eruditionem magis magisque persicendam, ut sint denique modus inclarefendi ita, ut viam TIBI sternas ad veram omnis generis felicitatem. Mei, AMICISSIME BESEKE, viue memor, neque amare nunquam intermitte. Ita vero res TVAS age feliciter. Vale. Scr. in Acad. Frider. d. 22. April MDCCLXXII.

VIRO

V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**AMICO SVO SVAVISSIMO**

S. P. D.

GVILIELMVS ALBERTVS DE KARSTEDT.

FRIGNIZIENSIS  
O P P O N E N S.

*Etsi ego quidem minime sum ad laudes TVAS efferendas accommodatus, tamen mutuae nostrae amicitiae, TVAEque erga me benevolentiae esse, putauit, amplissimam TVAM, in nobilissimis scientiarum generibus, eruditionem, enarrare, si minus exornare possum. TIBI enim contigit, quod haud scio, an omnibus, ut philosophiam, tanquam matrem et reginam artium liberalium cum iurisprudentia vinculo coniuxeris arctissimo; ita ut hodierna luce summae illius scientiae dignitates, in TE conferri debeant, et paulo post ad huius supremos gradus ascensurus sis. Quid vero multa? tantum est ingenii TVI flumen, tanta solidissimae eruditionis vis atque copia, ut animi TVI doctes nemini vnuquam esse possint incognitae. Supereft itaque, ut TIBI gratuler laetorque de adipiscendis honoribus. Gratulor auditoribus, qui TE in posterum praceptorum habebunt; gratulor denique mihi, quem testem solennis huius actus esse voluisti, TEque rogo obtestorque, ut me in posterum amore TVO prosequaris. Vale.*

E

VIRO

VIRO  
PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,  
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
**CANDIDATO DIGNISSIMO**

S. P. D.

AUGVSTVS GUILIELMVS DE BISMARCK  
ECCLESIAE CATHEDRALIS BRANDENBURGENSIS CANONIVS MINOR.

O P P.

*Non est, nec mearum partium esse debet, quod in te laudando sim verbosior. Nam nec verecundiam tuam offendere, nec nota narrare leteturis mibi proposui. Animi enim tui dotes singulares, solidam ac profundam tuam eruditioem, non solum in philosophia, sed etiam in legum scientia, omnibus satis cognitam esse, persussum habeo. Gratiulator tibi non solum, de elegantissimo illo specimine Iurisprudentiae naturalis, quod edidisti, quoque doce pariter ac solide publice defenderes, sed etiam de summis in philosophia postea in te conferendis honoribus. Gratias tibi ago, quas possum, maximas pro two erga me amore ac benevolentia ista, qua dissentientis munus mibi demandare voluisti, quod eo libentius suscepisti, cum simus occasioem nactus sim, palam tibi demonstrandi, quantum te colam quantaque te amicitia complectar. Summum numen te salvum atque incolument efficiat ad Nestorios usque annos. Ita vale, resque tuas semper feliciter age, meque uti hucusque fecisti, amare perge. Dabam Halae Magdeburgicae d. XXI. April. MDCCCLXXII.*

ULB Halle  
002 169 592

3



sb





DISSE<sup>7</sup>RAT<sup>7</sup>O IN AVG<sup>7</sup>RALIS IVRIS NATVRALIS  
DE  
**IVRE COGENDI**  
QVAM  
AVCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
IOANNE CHRISTIANO FOERSTER  
PROFESSORE PHILOSOPHIAE PVBLICO ORDINARIO  
ORD. PHIL. H. T. DECAN Q  
PRO  
SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS  
DIE XXV APRILIS C<sup>1</sup>I<sup>2</sup>C<sup>1</sup>CLXXII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT  
AVCTOR  
IOANNES MELCHIOR GOTTLIEB BESEKE  
BVRGO - MAGDEBURGICVS.

H A L A E  
TYPIS FRIDERICI AVGVSTI GRYNERI.

